



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VI. Explicatur jus quod Dioscoro quæsitum est in Synodo Ephes. II. ob... ei collatam rescripto Theodosij. Ea auctoritas in eo versabatur, ut jus quidem relationes haberet Dioscorus, cum prærogativa ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

vantia aut errore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur. Et aliis literis Pulcheriam rogat, ut si qui à confessione fidei dissentiant, quam ipse explicuerat, synodum cogi procuraret: *A qua ( id est, fidei confessione ) si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam clementia vestra annuente jubeatur; quò remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coerceri debeat, aut sanari.* Noverat prudentissimus ille Pontifex definiendi auctoritate, qua vigeat, Episcopos populúmque Christianum non adstringi tanquam indubitata fidei regula, nisi accederet per provincialium Episcoporum subscriptiones universalis Ecclesie consensus, vel reculantibus plerisque unius confessionis concordiam, Synodi Oecumenicæ publica professio Pontificis definitionem amplecteretur. Verissimè enim observatum est à Quinta Synodo, ( quæ factum Vigilij non probat, quòd præsentè Oecumenica Synodo, seorsim ab illa Constitutum suum de rebus propositis à Iustiniano edere volebat ) Apostolos docuisse in rebus fidei communem tractatum esse necessarium. *Licet enim, inquit illi in definitione fidei, sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quòd movebatur, se oportere gentes circumcidi, definire, prinquam communiter congregati; divinarum scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmarunt. Vnde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes: Visum est Spiritui sancto & nobis &c.*

I V. Sanè quænam futura sit Summi Pontificis potestas in Concilio Oecumenico, facile animadverti potest. Nempe rerum gerendarum & sancendarum auctor esse debet; quemadmodum Senatusconsulta olim in Imperio fiebant auctore Principe. Vnde Marcianus Augustus de proposito suo cogendæ synodi ad Leonem ita scribit, ut eo auctore illam celebrare velit, id est, eodem jure quo Principes Senatui auctores fiebant aliquid censendi. Si cui autem sublesta & frivola videatur hæc interpretatio, nolim mihi succenseat, sed ipsi Marciano; qui planis & disertis verbis sic Pontificis auctoritatem expressit, ut Leoni definiendi secundum canones jus tribuat, & synodo sua quoque constitutione declarandi. *Si verò hoc onerosum est ut tu ad hæc partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua sanctitas manifestet: quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum, sacra nostra literæ dirigantur, ut ad quandam diffinitum locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni atque catholica fidei pro-*

*sint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas diffiniverit, sua dispositione declarent.* Quæ paraphrasticè concepit Marcianus, in unum verbum contraxit Pulcheria Augusta, eadem de re loquens in epistola ad Leonem, nempe, ut eo auctore decernant Episcopi: *Facto Concilio, & de catholica confessione, & de his Episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.* Itaque quemadmodum in Senatusconsultis olim, sic in Synodi Chalcedonensis decretis duæ auctoritates in unam sententiam confluebant. Altera Leonis, qui non solum censebat, sed etiam referebat ad synodum cum prærogativa suffragij; altera synodi, quæ suis quoque suffragiis orationem seu epistolam Leonis confirmabat; ita ut ex hac consensione irretractabilis rerum propositarum definitio consequeretur.

V. Quemadmodum autem relationis imperatoris hæc erat necessaria & velut innata conditio, ut rectæ rationis præscriptum sequeretur, atque utilitati publicæ consuleret, vel sanè non incommodaret, ( qua de re libera erant Senatorum suffragia ) ita quoque relationis pontificiæ partes erant ut in fide & pace Ecclesiarum constituenda; à sacris scripturis, à canonibus, & à traditione majorum nullo pacto discederetur. Quare illud anxie à synodo disquirebatur, an Pontificum epistola prin scripturis & canonibus congrueret; ut ita demum auctoritate illius omnes tenerentur, atque duobus veluti vinculis in fide confirmati essent, definitione Pontificis, & declaratione synodi. Hic est Marciani sensus, cum scripsit illa quæ à Leone secundum ecclesiasticos canones definiuntur, à synodo declaratum iri. Sanè cum semel tradita fidei hærendum sit, ut docet Iudas Apostolus, hinc sequitur eam esse fidei Christianæ rationem, ut vetera eruantur, non autem nova condantur; quemadmodum rectè monuit Vincentius Lirinensis. Quare Summus Pontifex & Synodi Oecumenicæ in id totis viribus incumbunt, ut veritatem fidei adversus hæreson novitates decretis suis post consultationes accuratas constanter vindicent. In asserenda autem veritate, Romanæ sedis antistes primam & maximam accepit potestatem, & pro veritate plus ceteris consacerdotibus potest; ut loquar cum Faundo Hermianensi.

VI. Ut autem liquidius constet in quo versaretur prima illa præsidium potestas in Synodis Oecumenicis, præter illam quam à Marciani literis protulimus interpretatio nem, adjungenda quoque est Dioscori Alexandrini explicatio in Concilio Chalcedonensi; ubi ab eo, tanquam à Synodi Ephesinæ

Ep. Pulcherie p. 1.  
Concil. c. 31.

Vide locum Fa-  
cundi lib. 1. l. 1.  
Difert. c. 15. §. 10.

Epist.  
Pulcherie  
ad Leonem  
p. 1. c. 31.

Epist.  
Pulcherie  
ad Leonem  
p. 1. c. 31.

Vide locum  
Faundi lib. 1.  
l. 1. Difert.  
c. 15. §. 10.

Epist.  
Pulcherie  
ad Leonem  
p. 1. c. 31.



Rescriptum Theodosij ad Dioscor. Concil. Chalced. A. 451.

secunda præside, ratio exigebatur eorum qua perperam decreta erant; ideoque illius valde intererat ut eam potentiam, quantum fieri posset, oratione sua labefactaret. Collata illi fuerat rescripto Theodosij *adversus*, primatus & auctoritas Synodi Ephesinæ; adjunctis tamen duobus collegis, Iuvenali Archiepiscopo Hierosolymorum, & Thalassio Archiepiscopo Casareæ Cappadociæ. Agnoscit ergo Dioscorus non sibi solum iudicium commissum fuisse, sed suis quoque collegis Iuvenali & Thalassio. se quidem unâ cum illis iudicavisse, & definitivisse; attamen synodum quoque universam consensisse. Itaque iudicij auctoritatem sibi assumit, nempe ob jus relationis cum prærogativa suffragij: sed necessitatem consensus synodi admittit, ut inde plena definitio confurgat. Hæc sunt verba Dioscori: *Comperit vestra clementia quia non mihi soli sacratissimus noster Imperator commisit iudicium; sed & beatissimo Iuvenali, & sanctissimo Episcopo Thalassio, auctoritatem synodi dedit. Nos ergo iudicavimus que iudicata sunt. Consensit nobis & universa synodus. Quare in me solum ista extenduntur, quando auctoritas executionibus data est, & iudicatis à nobis consensit (ut dixi) universa synodus, & confessa est propriis vocibus, & subscripsit, & relatum est piissimo Imperatori divæ memoriæ Theodosio, & confirmavit omnia que iudicata sunt à sancta & universalis synodo, generali lege? Quare promiscuè ista accipiuntur, primatum synodi gerere, auctoritatem sive *adversus* obtinere, & iudicium ferre.*

## CAPUT IX.

## Synopsis.

I. Leo I. præfedit synodo Chalcedonensi per Legatos suos. Literis ad synodum datis utitur suffragij sui prærogativa, decernendo quid agendum esset in causa fidei, & de disciplina restauranda.

II. In contentionibus de fide, synodus secuta est definitionem Leonis. Recitatur epistola ejus ad Flavianum; quam synodus recepit, tanquam continentem veram fidem. Episcopi tamen Illyriciani & Palestini questionem moverunt de tribus ejus epistola locis. Sed deinceps, & ambiguitatem omnem sibi à Legatis ademptam profitentur. Ex his collegit Quinta Synodus, quæcunque apud synodos proferuntur, ab iis non simpliciter, sed cum inquisitione approbari. Formulam fidei proponi Iudices postulant.

III. Formula ea confecta fuit iis verbis quibus Leonis dignitas tentari videretur. Eam ob rem repudiata fuit à Legatis & aliquot Orientalibus. Dissidium illud ortum ob transmissa aliquot Leonis verba in ea formula: qua cum addi postularent, contraditum est à concinatoribus formulæ. Dissidium illud sopitum industria Imperatoris, & Iudicum; ac repudiato Dioscoro, Leonis epistola suscepta est, tanquam Petri confessioni con-

gruens. Synodi de ea receptione decretum confirmavit Marcianus.

IV. Hinc duo colliguntur. Primum, omnes Episcopos epistola Leonis subscripsisse, quod ejus auctoritatem demonstrat. Alterum, nefas synodo visum, si vel uno verbo ab ea epistola discederetur. Ius itaque relationis cum prærogativa suffragij agnovit in Leone synodus Chalcedonensis. Probatum ex epistola synodica ad Leonem. Quæ tamen in eo negotio fuerint synodi partes, non tacent.

I. PRIMÆ hujus & maximæ auctoritatis periculum faciamus in Actis Synodi Chalcedonensis. Agebatur de opinione Eutythis, an fidei contraria esset. Ea de re quid sentiendum foret, Leo summa auctoritate perscripsit epistola ad Flavianum Constantinopolitanum data: quæ recitata cum non esset in Concilio Ephesino, per fraudem Dioscori Alexandrini, honoris illi periculum creavit in Concilio Chalcedonensi. Huic ergo synodo pro scandalis evellendis coactæ per Legatos suos Leo quidem præfedit; præterea verò literis suis ad synodum datis, suffragij sui prærogativa sinceram fidem constituit, perfidiam Eutythis à se damnatam in priore ad Flavianum epistola significavit; restituendos Episcopos decrevit, qui pulsati erant à sedibus suis eò quod hæresim non recepissent; ceteris, si errorem relinquerent, honorem conservandum. *Vnde fratres carissimi, inquit, rejectis penitus audaciâ disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi quod non liceat credi; cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam plenissimè & lucidissimè per literas quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum missimus fuerit declaratum quæ sit de sacramento incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio. Pergit verò de disciplina restauranda quid agendum sit præscribere, iis verbis: Quia verò non ignoramus, per pravas emulationes, multarum Ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimòsque Episcopos, qui hæresim non receperunt, sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, atque in locum superstuum alios substitutos, vulnibus his primitus adhibeatur medicina justitiæ, nec quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis; cum si, ut cupimus, errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat; sed illis qui pro fide laboraverunt, cum omni privilegio oporteat jus proprium reformari.*

II. Magna contentione de fide disceptatum est in synodo; sed omnia exacta sunt ad normam à Leone præstitutam. Actione secunda Concilij relectis Symbolis Nicænæ synodi & Constantinopolitanæ, atque epistola Cyrilli ab Ephesina synodo confirmatâ, adjuncta est quoque recitatio epistolæ